



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

48 Moniales omnes sub perpetua clausura vivere tenentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

teris sibi subiectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicæ auctoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari, maximè procurent. Conc. Trid. in c. 5. de reg. & monial. & c. unic. §. 1. & ult. de stat. regu. in 6. Inobedientes, atque contradicentes per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione postposita compescendo, invocato, etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. ut eod. c. 5. d. c. unic. in fin. de stat. regul. quod auxilium, ut præbeatur, omnes Christiani Principes hortantur, & sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, omnibus magistratibus secularibus injungitur per sacrum Conc. Trid. in d. c. 5. §. quod auxilium. Et exhiberi debet ad ea, quæ Deo sunt placita, exequendum. c. 1. de off. ordin. & glo. in d. c. unic. in ver. seculari. ad hoc enim Magistratus seculares legitimè à Sac. Concilio fuerunt compulsi, & compelli possunt. cap. administratores. 23. q. 5. & gloss. proximè citata.

Et Pius V. in hærendo dispositioni d. c. unic. de stat. regul. in 6. & decreto Sac. Concil. Trid. d. c. 5. sess. 25. sua perpetuò valitura constitutione, statuit, atque decrevit universas Moniales, tunc præsentis, & futuras cujuscunque religionis, & ordinis, vel militiarum, etiam Hierosolymita. receptas, vel recipiendas, tacitè, vel expressè professas, etiam si conversæ, aut quocunque alio nomine appellarentur, etiam si ex institutis, vel foundationibus earum regulæ ad clausuram non tenerentur, † nec unquam in earum Monasteriis, seu domibus, etiam ab immemorabili tempore ea servata fuisset, sub perpetua in suis Monasteriis, seu domibus debere de cete-

ro permanere clausura, & reluctantes hortandæ, ac inde contrafacientes ab ordinariis locorum severissimè puniendæ, omnibusque sine professione, & absque clausura vivere volentibus est interdictum, nè ullæ aliam prorsus in suum ordinem, religionè, aut congregationem recipere possint, ut in const. ejusdem Pij V. in Bull. cap. 8.

Nec possunt † moniales cujuscunque status, gradus, vel conditionis existentes, de cætero morborum, lepræ, aut epidimiæ causa, nisi ob evidens, graveque periculum, seu scandalum (quæ tamen præter alios ordinum superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci ordinarium, etiam si prædicta Monasteria ab Episcoporum, & ordinariorū jurisdictione exempta esse reperirentur, cognita, & expressè in scriptis approbari debent) à monasteriis prædictis exire. dict. c. unic. circa princ. vers. ita quod nulli. Sed nec in prædictis casibus extra monasteria, nisi ad necessarium tempus stare licet, si quæ autè extra prædictos casus modo, quo supra cognoscendos, & approbandos, è monasterio, clausuravè egressæ fuerint, quive eisdem licentiam exeundi quomodolibet concesserint, nec non comitantes, ac illarum receptivæ personæ laicæ, seculares, vel Ecclesiasticæ, consanguineæ, vel nō, excommunicationis majoris latæ sententiæ vinculo, eo ipso absque aliqua declaratione subjiuntur, à quo à nemine, nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo absolvi possunt, ut in aliis ejusdem Pij V. Postea confectis litteris, de quibus in eodem Bull. cap. 100.

Gregorius autè XIII. inhibuit quibuscunque, nè sub prætextu licentiarum hætenus tunc concessarum, & obtentarum